

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Proverim curare ad vos devehit, per nautas perscribam præcium. Bene vale in Christo Jesu, cum tuis omnibus, & toto presbyterio, & Erythæo. Scripsi Basileæ, 17. Novemb. Anno 73.

R. d. t.

ex animo symmista amicus & frater

S. Sulcerus.



CLIV.

Salutem in Christo.

Litteras binas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater charissime, easque cristissimas à te accepi, quæ non modo mutationem in schola vestra periculolam, sed summam quoque animi Tui perturbationem nunciabant. Etsi verò ad priores jam responderam, tamen cum posteriores supervenissent, alias scribendas esse duxi. Etenim quod à me petebas primis literis, cum D. Pappo jam egeram, qui etiam talem voluntatem offerebat sponte, qualem vel Tu, vel ego optare potuissimus. Et præter expectationem meam accidit, hac ratione te ab administratione Collegii Wilhelmitarum remotum iri. Nam ut perpetuo retineres, nec ego tibi vel autor vel hortator fuissim futurus. Cum nihil dubitarem, plenam odii & invidiæ adversariorum tuorum esse, quasi vel dominium affectari, vel rem tuam agere judicarent. Videtur autem mihi duplici nomine vehementer erratum, quod tamen pace tua optima scripserim. Primum quidem, quod D. Mülhemius functionem suam resignaverit, si tamen resignavit. Nam hoc volebat Satan, ut ejecto optimo & auctoritatis pleno viro dominarentur, qui corruptelis doctrinæ faverent. Ideoque tantum abest, ut existimem, D. Mülhemium officium suum resignare debuissim, ut etiam illis invitis retinendum senserim. Plus enim talis viri umbra præstare potest, quam alterius corpus validum nocere. Deinde etiam abs te & D. Floro graviter peccatum est, quod ad Conventum non accessistis, in quo novi administratores Collegii Wilhelmitarum eligendi erant. Etsi enim Decretum Senatus mutare non potuissetis, tamen præsentia vestra, instituto vestro sancto, minus nocuisset. Et potuisset tu moderata oratione magis ferire adversariorum animos, quam absentia tua, que illis gratissima fuit. In primis verò dolui, postquam audivi, inter vos in conventu Ecclesiastico convenisse, ne quis ex vestro cætu patiarur sese ad hujus Collegii administrationem adhiberi, fortassis hoc consilio, ut Senatus Decretum hac ratione mutetur. Quod tantum abest, ut facturi sint, quin etiam nihil dubitetis, arrepturos hanc occasionem adversarios vestros avidissime, ut hac administratione vos perpetuo

exclu-

excludant, & ipsi pro libidine sua dominantur. Mutatio ergo doctrinae, si quae introducta fuisset, Tu sane culpa, meo iudicio, non caruisses. Et universum collegium Ecclesiasticum causam non habuisset conquerendi contra illos, cum non eiectiones vos esse affirmare queant, sed vos vestra sponte, non sine contemptu totius scholastici catus, vocationem vestram resignasse, quae Magistratus autoritate vestro collegio ex parte imposita erat. Quod si verò contra Magistratum ipsum vel querelam vel accusationem instituere voluissetis, quem inde fructum sperassetis? Etenim Magistratus Dominus est Collegii illius, quis ergo illi modum praescribat? An quæso in ipsius potestate non est, pro voluntate, quicquid id est, omni tempore disponere? Sed ais, cum contumelia mei nominis & autoritatis factum est. Verum id te movere non debet, ut aliquid præter officium facias. Novisti enim illud vulgare: Regium est, cum benefeceris, male audire. Et Christus ipse: Beati cum omne malum contra vos dixerint, mentientes; **GAUDETE ET EXULTATE**, quoniam merces vestra erit copiosa in cælis. Cum D. Paulo non modo per gloriam, sed etiam per ignominiam ambulandum erit. Id nisi feceris, sed impatientia animum tuum frangi patieris, quanto in periculo verberis, non ignoras. Ac præstat te pia & sancta moderatione animi ac patientia illorum impetus sustinere, quam aliquid suscipere, quo novam suspensionem aut reprehensionem incurrere posses. Omnia tempus suum habet. Habebit ergo & hoc tuum tempus. Sunt regnorum periodi, & non essent etiam periodi administrationis Collegiorum? Ac ne sane existimes, me sine experientia propria loqui, non debet te cælari, quid mortuo Brentio, mihi & Præposito Stürgardiensi acciderit. Nobis enim cum visitatio & inspectio scholarum Monasticarum per totum Ducatum Wirtembergensem commendata esset, quam etiam per annos undecim administravimus, jam tota nobis adempta est. Nec adhuc successores videmus, per aliquot annos. Qua de re ex testamento optimi mei Principis defuncti conqueri potuissimus. Sed quid ageremus? Mitte vadere, sicut vadit. Nec nos Dominos Curatores cogere possumus, ut nos retineant, faciant, quod bonum est in ipsorum oculis, nos culpa caremus, quicquid peccaverint hac in parte. Quod ad D. Pappum attinet, statim cum ad nos accessisset, & literis tuis exhibitis, admonitus esset, talem se præbuit, qualem tu optare potuisses, sancteq; testificatus est, se contra voluntatem tuam non modo hoc non facturum, quod à nobis petis, ut illi persuadeamus, sed etiam in aliis omnibus expectationem tuam superaturum. Verum re in Collegio nostro graviter deliberata, nullo modo, Nullo inquam modo, consulere possumus, ut operam suam in administratione huius Collegii ipsi ordinatiè impositam recuset. Si enim hoc fecerit, nihil certius est, quam vos omnes ab ejus administratione perpetuo exclusos iri, quod omninò & quidem diligenter cavendum est. Quapropter autores & hortatores illi fuimus, ut susciperet vocationem legitimam, etsi nobis ipse resistebat, donec argumentis nostris victus, sibi hoc persuaderi pateretur. Id ut tibi quoque non modo molestum & grave non

sit,

sit, sed etiam tuo calculo confirmes, per Christum Jesum te oramus & obtestamur. Nec tibi in memoriam revoces, auctoritatem tuam læsam. Tribuas quæso etiam aliquid providentiæ DEI, qui malum convertere potest in bonum. Vos cogitatis de me malum, inquit Joseph fratribus, & Dominus convertit in bonum. Haud dubie & illi de te malum cogitant, in hoc ipso negotio, sed si permiseris voluntati divinæ, Dominus convertet in bonum, Modo Modo Modo ad tempus Tibi ipsi imperare possis. Quod ut facias, te per Christum Jesum, & meo & meorum Collegarum nomine oro. Consilii hujus te nunquam pœnitebit, si nos audieris. Hæc ad epistolam tuam respondere volui, paulò copiosius, ut intelligeres, mihi negotium hoc esse cordi. Quod ad filios attinet, ego in illa animorum exacerbatione nihil adhuc suscipiendum puto, sed paululum expectarem, donec eventum hujus mei instituti viderem. Et nihil dubito, D. D. Pappum omnes occasiones observaturum, teque moniturum, ut petitionem vel Tu vel filii tui non instituas, nisi conjecturis indubitatis eam habere videaris. Quod ut faciat, sicut diligenter ipsum rogavi, ita fideliter se executurum sanctè promisit. Postremo quid de negotio Concordiæ ad me propria manu prolixè scribat Dux Julius &c. ex D. D. Pappo intelliges, cui literas legendas exhibui. Quapropter non cessabo, ut vel tandem exoptatum finem pium & sanctum institutum sortiatur. Bene & feliciter vale, & me, ut facis, amare perge. Raptim Tubingæ, 25. Novembris, 1573.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ



CLV.

S. Reverende vir, Clarissime Domine Doctor,
frater & amice honorande.

LEgit nobis in Collegio D. Cancellarius noster binas à te sibi redditas literas, quibus statum rerum tuarum exponis. Eas non absque magna animi perturbatione, & dolore audivi, quod quasi sexagenarius de ponte dejiciaris. Et quidem videris non injuste conqueri de injuria tibi illata, quæ cum ingenti Scholæ vestræ detrimeto est conjuncta, imminuto studiosorum numero, qui mediocri & tolerabili illic precio sunt sustentati, quæ non minima pars fuit vestri Gymnasii, & ibi multa præclara ingenia ad Ecclesiæ ædificationem proficere potuerunt, quibus jam in tanta rerum omnium caritate & difficultate deserenda sunt studia. Quid igitur facias? Ergo ne, quia de aliqua tuæ administrationis parte dejectus es, omnem illam, reliquam